



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita Et Morib. Ignatii Loiolæ, Qvi Societatem Iesv
Fvndavit, Libri III**

Maffei, Giovanni Pietro

Dvaci, 1585

Jgnatius Romæ Christianæ rei dat opera[m]: in Casinati monte animam
Hozij cælum intrante[m] videt. Cap. VI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44004

omnes difficultates atq. pericula magnopere corroboravit, ac munijt : atque idipsum vel in primis fuit causæ cur Ignatius confirmatæ postmodum Societati salutare potissimum I E S V nomen indiderit. quam tamen deinde verbo scriptoq. minimam vocare solitus est; quòd reliquis religiosorum familijs (quas item Societates I E S V licet optimo iure appellare) cunctis omnino tum de splendore, tum de antiquitate concederet.

Ignatius Romæ Christiana rei dat operam : in Casinati monte animam Hozijcalum intrantem videt. CAP. VI.

IGITUR tam secunda numinis voluntate, tamq. liberali promisso mirum in modum læti, sic tamen vt non sine mysterio Christum Dominũ crucifixi maxime habitu apparuisse apud se reputarent, cum gratiarum actione ac prece sanctam Urbem ingressi, nihil antiquius habuere quàm vt viatici nomine sibi numeratam anno priore pecuniam, quoniam quidem navigationis consilia in irritum cecidissent, prorsus ad nummum ipsdem à quibus acceperant, redderent; quæ, utpote sacra, in alios pietatis vsus & opera expenderetur. Deinde, quemadmodum ante conuenerat, suam & reliquorum operam Pontifici maximo in Apostolicis præcipue functionibus, citra honoris titulos, & dignitatis insignia, detulere. Neque aspernatus est pia Patrum studia Christi Vicarius: atq. in præsentia, donec eiusmodi aliqua sese offerret occasio, iussi Faber & Laines in almo Sapientiæ Gymnasio sacras litteras profiteri. quo munere dum
alter

alter in Biblijs explicãdis, alter in scholastica Theologia, vt appellant, pari cum eruditionis ac pietatis laude perfunguntur, atq. etiam sæpe corã ipso Pontifice de grauibus rerum diuinarum quæstionibus disputant; interim Ignatius proximorum saluti de more operam nauabat cum alijs artibus, tum vero spiritualibus præsertim exercitationibus, quippe ad curandas perturbationes admodum efficaci, virtutisq. iam pridem expertæ remedio: quibus ille per eos dies, præter ceteram turbam, insignes aliquot viros diligenter excoluit. in ijs Gasparem Contarenum Cardinalem, grauissimum Senatorem, eüdemque temporibus illis (quod eius varia monumenta præclare testantur) ingenij & doctrinæ facile principem. Is, Ignatij prudentia & consuetudine vsque adeo captus est, tantumq. eius præceptis cõsilijsque profecit, vt qualem dudum optauerat animi regedi moderandiq. magistrum, deniq. sese Dei beneficio nactum esse affirmaret. idemq. tradita sibi Exercitia (quod exẽplum apud heredes hodieq. asseruari perhibent) sua ipse manu perquàm accurate descripsit. Hunc imitatus Cæsaris procurator (de quo supra dictum est) Petrus Ortizius Theologiæ doctor insignis, easdẽ exercitationes ad Christi Domini gloriam, & suam salutem omnino experiri cõstituit. Id quo liberius simul & fructuosius faceret, procuratione interim vicarijs delegata, cū paucis quotidianæ vitæ administris, & Ignatio præceptore in monte Casinatem secessit, quo in monte antiquissimum & nobilissimũ cernitur S. Benedicti cœnobium. Ibi, remotis arbitris, maxima diligentia dies ipsos quadraginta piæ meditationi ex Ignatij præscripto vacauit; idq. tãto cum animi fructu, tantaq. accessione virtutis,

virtutis, vt quamquã Christianã philosophiã multo ante professus, tamẽ se tum demũ vere philosophari cœpisse fateretur. ac parum abfuit, quin grandis iam natu vir, & Imperatoris legatus, illico mortalibus rebus abiectis magno animo sese ad laboriosũ Ignacij vitę genus adiungeret. sed cũ id neq. per ætatem liceret, neq. per suscepta negotia; certe quod proximũ fuit, egregie præstitit, vt & sanctimonix ac pietatis exemplo in posterũ sui ordinis hominibus præluceret, & Societatem deinde nostrã quibuscumq. posset rebus, perquã studiose ornaret, atq. defenderet. Non omittenda videtur hoc loco res memorabilis, quã Ignatio in illa Casinati cõmoratione diuinitus accidit. Dũ enim pro salute Baccalauri Hozij, quẽ grauiter egrotare cognouerat, Domino supplicaret, repẽte vidit in spiritu (quod ipsum ibidem D. Benedicto fertur olim in obitu Germani Episcopi cõtigisse) animam socij luce clarissima radiantem, deducẽibus Angelis in sublime ferri, atq. ipsa demũ cœli beatissima regna conscendere. eidemq. Ignatio, paulo post, cum ad aram sacrificaturus accederet, in ipso Missæ introitu, Sanctis omnibus rite appellandis, lucidissimũ cœlestium agmen subito apparuit, sic, vt in ijs Hozium eximio fulgore micantem sine vlla dubitatione dignosceret. Qua ex vtraq. visione tãto est gaudio delibutus, vt multos dies præ dulcedine lacrymis tẽperare nequiverit. Huic Hozio Patauium (vt diximus) prouincia nuper obtigerat. vbi dum in officio, singulari cum industria & fide versatur, ex ipsa rei nouitate suspectus, & cõiectus in carcerem ab Antistite Patauino, moxque ab eodem dimissus perhonorifice fuerat. cumque acrius denuo in proximorum salutem incubuisset, è magnis diurnis no-

nis no-

nis nocturnisq. laboribus letali morbo correptus, ex hac vita migrauerat, cum alijs mirę cuiusdam sanctimonię relictis indicijs, tum vero quod qui ante obitum subniger fuisset, ac vultu deformior, in eiusdem demortui facie tantus repete nitor ac venustas apparuit, vt eo spectaculo Codurius consors prouincię animum exsaturare, & præ lætitia fletum cohibere non posset. Huius igitur tam felici exitu maiorem in modum gauisus Ignatius, è Casinate Romam vna cum Ortizio peracta commentatione regrediens; obuium habuit in itinere Frãiscum Stratam Hispanum, præclarę indolis iuuenem, sibi antea non ignotum: qui cum è cuiusdam principis viri familia, pertæsus aulicę vitę, militandi causa Neapolim peteret, vno Ignatij congressu atq. sermone (quæ hominis erat in dicendo vis) à sæculi stipendijs ad Christi vexilla facili negotio traduci se passus est: ac varijs deinde locis, eiusdem Ignatij missu, & Societati nostrę, & rei Christianę vniuersę concionator egregius haud mediocriter profuit. Hoc igitur auctus commilitone Romam Ignatius reuertit: ad quem deinceps aliquot etiam alij rebus gerendis idonei diuino impulsu paucis diebus adiuncti sunt.

Romam Patres vniuersi conueniunt: veterem plebis erudienda morem, & frequentem usum Confessionis & Eucharistię restitunt. CAP. VII.

VÆ dum ardens Christi amore diligenter agit Ignatius, interim Patres ceteri, sua quisque prouincia bene gesta, Romam
(vii)